

Christi decreuimus, ad gloriam Dei sempiternam, certi de uictoria non transitoria sed aeterna,⁹ si uel etiam sanguinis effusione Deum glorificemus.

De Satanico illo commento, quod INTERIM uocatur, uere ad *interimendam* Ecclesiam Christi (si possibile esset)¹⁰ excogitato, hoc respondemus: quod, quamuis nondum sit a Caesarea Maiestate ad nostrum clementissimum Dominum Regem missum, tamen nec ipsum Dominum Regem latere dolosum illud et incredibili astutia consarcinatum commentum, quod ad Religionis [70:] interitum ac euersionem non sine arte et astu Satanae excogitatum omnino credimus; de quo ita Dominus Rex clementissimus iudicat, quod cum fide, cum uerbo Dei et contra humanam salutem etiam in *Iustificationis* doctrina pugnet; aitque se omnia praesentis uitae commoda ac bona prius, potius ac libentius amissurum, quam illud approbet aut accipiat. Nos uero, qui singulas commenti partes nondum examinare ualuimus, quod tantundem esset hoc commentum approbare, ac uniuersam impii Papatus abominationem admittere ac reuocare, qui totus hoc admissio quasi postliminio breui tempore rediret et restitui posset. Nam et fucata mendacia et dolo seruientem ueritatem et omnia ueteris idololatriae et impietatis semina in hoc infelici agro seminata conspiciamus,¹¹ nec dubitamus, quin eadem arte conetur nunc Satan hoc instrumento dementare humanum genus, qua olim in Alchorano¹² et postmodum in Sophisticando Ecclesiae doctrinae usus est.

Solet enim hic se transformare in angelum lucis,¹³ et sub specie ueritatis impiissime subinferre tandem per suos Satellites, qui probe nouerunt, traditiones suas, cum nihil prosint ad iustitiam et uitam aeternam, non posse consistere, nec durare, nisi mirabilibus insidiis et astutiis praetextu ueri fuerint appalliat. Quorum cum non ignoremus [71:] astutias et dolosas insidias, illud ipsorum *Interim*, ducens ad interitum et interuersionem, damnamus, detestamur et execramur, quantum quidem ad manifestos errores propter se, quantum uero ad usurpata suffragia ueritatis propter eos, quos conspiciamus subesse, dolos. Si unquam aut ullo antehac opere se pinxit Sathan, ut angelus lucis uideretur, certe hoc nunc praesenti *Interim* callidissime efficere molitur. Vtinam non sint, qui nimium concedant *Interimistis* siue *Interimentibus* istis, quasi ex necessitate contra spiritus libertatem,¹⁴ cum nec sic quidem contenti reddantur, quin aliquando totum illud impium desiderium consequi studeant ac moliantur. Suadet quidem charitas multa condonanda esse publicae tranquillitati, sed fides est ut pupilla oculi, quae ne scintillam quidem impietatis ferre potest, nec ullam doctrinam, quin exigat eam ad suam amussim et analogiam, ne quicquam conce-

⁹ Vgl. I Kor 9,25.

¹⁰ Vgl. Mt 16,18.

¹¹ Vgl. Mt 13,25.

¹² Vgl. unsere Ausgabe Nr. 9: Aepin, Bekenntnis und Erklärung aufs Interim (1548), S. 401, Anm. 734.

¹³ Vgl. II Kor 11,14.

¹⁴ Vgl. II Kor 3,17.